



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Contra errorem Armenorum statuitur doctrina Catholica. cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

*Vtrum intellectus creatus ad videndum Dei essentiam
aliquo creato lumine indigeat.*

59
3. contra. a.
51. 52. 53. 54.
Et opusc. 3.
c. 105. 6. 4.
d. 49. q. 2.
a. 7. Et veri.
83. 84. 1. 4.

Ad quintum sic proceditur. Videtur,
quod intellectus creatus ad viden-
dum essentiam Dei aliquo lumine creato
non indigeat. Illud enim, quod est per se
lucidum in rebus sensibilibus, alio lumine
non indiget, ut videatur: ergo nec in intel-
ligibilibus. Sed Deus est lux intelligibilis:
ergo non videtur per aliquod lumen crea-
tum.

2. Præterea, Cum Deus videtur per me-
dium, non videtur per suam essentiam. Sed
cum videtur per aliquod lumen creatum,
videtur per medium: ergo non videtur per
suam essentiam.

3. Præterea, Illud, quod est creatum, ni-
hil prohibet alicui creaturæ esse naturale:
si ergo per aliquod lumen creatum Dei es-
sentia videtur, poterit illud lumen esse na-
turale alicui creaturæ, & ita illa creatura
non indigebit aliquo alio lumine ad vi-
dendum Deum. Quod est impossibile.
Non est ergo necessarium quod omnis
creatura ad videndum Dei essentiam, lu-
men superadditum requirat.

Sed contra est, quod dicitur in Psal. In
lumine tuo videbimus lumen.

Respondet dicendum, quod omne quod
excedit suam naturam, oportet quod dis-
ponatur aliqua dispositione, quæ sit supra
suam naturam. Sicut si aer debeat accipe-
re formam ignis, oportet, quod dispona-
tur aliqua dispositione ad talem formam.
Cum autem aliquis intellectus creatus vi-
det Deum per essentiam, ipsa essentia
Dei sit forma intelligibilis intellectus. Vnde
oportet, quod aliqua dispositio super-
naturalis ei superaddatur ad hoc, quod
eleuetur in tantam sublimitatem. Cum
igitur, virtus naturalis intellectus creati
sufficiat ad Dei essentiam videndam, ut
ostensum est, oportet quod ex diuina gra-
tia superaccrescat ei virtus intelligendi.
Et hoc augmentum virtutis intellectus
illuminationem intellectus vocamus, sicut
& ipsum intelligibile vocatur lumen,
vel lux. Et istud est lumen, de quo dicitur
Apocal. 21. quod claritas Dei illuminabit
eam, scilicet societatem beatorum Deum
videntium. Et secundum hoc lumen effi-
ciuntur deiformes, id est, Deo similes: se-
cundum illud 1. Ioannis 3. Cum apparue-
rit, similes ei erimus, & videbimus eum,
sicuti est.

Ad primum ergo dicendum, quod lu-
men creatum est necessarium ad viden-
dum Dei essentiam, non quod per hoc lu-
men Dei essentia intelligibilis fiat, quæ

secundum se intelligibilis est, sed ad hoc
quod intellectus fiat potens ad intelligen-
dum, per modum, quo potentia fit poten-
tior ad operandum per habitum. Sicut et-
iam lumen corporale necessarium est in
visu exteriori in quantum facit medium
transparens in actu ut possit moueri a co-
lore.

Ad secundum dicendum, quod lumen
istud non requiritur ad videndum Dei
essentiam, quasi similitudo, in qua Deus
videatur, sed quasi perfectio quædam in-
tellectus confortans ipsum ad videndum
Deum. Et ideo potest dici, quod non est
medium in quo Deus videatur, sed sub
quo videtur. Et hoc non tollit immédia-
tam visionem Dei.

Ad tertium dicendum, quod dispositio
ad formam ignis non potest esse naturalis
nisi habenti formam ignis. Vnde lumen
gloriæ non potest esse naturale creaturæ,
nisi creatura esset naturæ diuinæ: quod
est impossibile. Per hoc enim lumen fit
creatura rationalis deiformis, ut dictum est.

Conclusio est affirmans, ea vero sequitur ex
præcedentis articuli doctrina. Si enim nullus
intellectus naturali sua virtute, & principiis sibi
debitis iure creationis Deum, sicuti est, videre va-
let, sequitur aliquo dono supernaturali indigere,
quod quia debet esse principium videndi, merito
lumen appellatur, ut disp. 42. patebit.

DISPUTATIO XLI.

An intellectus creatus propria virtute
Deum videre possit.

*Contra errorem Anomæorum statuitur doctrina Catholi-
ca, cap. 1.*

*Virtute naturali intellectus Deum non posse videri, contra
durandum probatur, c. 2.*

CAPVT I.

Contra errorem Anomæorum statuitur doctrina Catholica.

Philosophi quidam, ut refert Nazian. orat. 42.
quæ est secunda in pascha, ausi sunt affirmare
Deum in hac vita ab intellectu nostro virtute pro-
pria comprehendere, hoc est, clare videri, sicuti est, &
totum agnoscere posse. Eos vero ex Schola Platonis
fuisse, testatur Nicetas, & Psellus in illa verba eius-
dem orationis, *Immensus igitur, atque eorum du-
cem Eunomium extitisse. eundem errorem tribuit
etiam Eunomio Chrysost. homil. 5. de incomprehensibili
natura dei. & Theophylactus in illud ad Ephes. 3. in gen-
tibus euangelizare. Basilius lib. 1. contra Eunomium post
medium, Theod. lib. 4. heretic. fabular. Hieronymus in illud
Matth. 11. Nemo nouit filium. Hos vocauit Chrysost.
Anomæos, vel Anomos, quasi sine regula, sic et-
iam appellauit Epiph. heresi 76. atque eorum ducem
fuisse putat Aetium; eis tamen solum errorem Ar-
rianorum adscribit. Dictos vero existimat Ano-
mæos, quasi sine regula, & æqualitate, quod Dei
Filium inæqualem esse Patri docerent: id ipsum
de Aetio, & eius discipulis tradit Niceph. lib. 11. histor. 2. 11. sed quia Eunomius idem prorsus de inæquali-
tate filij docuit, merito, & ipse Anomæus potuit
appel-*

*Nazian.
Qui fuerint
huius erroris
auctores.*

*Nicetas.
Psellus.
Eunomius.*

*Chrysost.
Theophyl.
Basilius.
Theodoret.
Hieron.*

*Anomæi
Epiphani.
Aetius.*

Nicephorus.

appellari: hoc ergo nomen sortitus est, non quod diceret, Deum ab intellectu creato propria virtute clare videri posse, sed quod alliceret, Filium esse Patri inaequalem.

Eundem errorem circa Dei visionem postea docuerunt B. guardi, & Beguinæ in Germania vt refertur in Clementina, ad nostrum, de hæreticis, vbi inter alios ipsorum errores quartus connumeratur in hunc modum. *Homo in hac vita consequi potest beatitudinem, quam sancti habent in alia.*

Quintus vero hoc modo refertur: *Quod qualibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloria ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.* Cum dicunt naturaliter beatam esse, non intelligunt, vt explicatur Alphonsus de Castro aduersus hæreses verbo Beatitudo, hæresi 5. sine operatione aliqua, sola sua substantia & natura proxime esse beatam: quocirca frustra in hunc sensum eorum errorem interpretatus Alphonsus, eum impugnat: sed dixerunt naturaliter, quod virtute sua naturali creatura rationalis videre posset Deum, sicuti est, & ita beari.

Damnatur autem hic error in Concilio Vienne[n]si, & refertur in ea Clementina citata, vbi statuitur de fide doctrina huius 4. & 5. articuli. Scribit vero contra eum errorem Alphonsus de Castro hæresi 4. & 3. sed latissime & optime Chrysost. in illis homilijs de incomprehensibili natura Dei, tamen si caute legendus sit, vt disp. 37. c. 2. & 3. monstrauimus: adeo Anomæorum errorem declinare voluit, vt in extremum etiam inciderit.

Ex Scriptura vero facile potest refelli. Primum si ad Rom. 6. dicitur, *Gratia Dei vita æterna*, & ad iustificationem quæ via est ad vitam æternam, & beatitudinem peculiari Dei ope indigenus, nec sola sufficit natura, multo magis ad videndum Deum. sicuti est, peculiare Dei auxilium necessarium erit, Tum etiam si fides, quam de mysterijs in ænigmate habemus, est peculiare donum Dei, vt in 1. 2. q. 109. artic. 2. probabimus, multo fortiori ratione erit ipsa clara Dei visio.

Deinde contrarium errorem redarguit Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili natura dei ex illo; *Ego me non arbitror comprehendisse.* Quod si Paulus tunc nondum dei essentiam comprehenderat, hoc est, clare viderat, merito temeritatis, & erroris argui debent Eunomius, B. guardi, & Beguinæ, qui se iactabant in hac vita Deum comprehendiisse. Verum Paulus eo loco non videtur locutus de comprehensione præmij, quæ est in clara visione, sed perfectionis virtutis, quam gratia Dei cooperante bonis operibus iusti consequuntur. Sæpius enim notum erat, Paulum nondum comprehendiisse, hoc est, clare videri Dei essentiam, & in illius visione perseverasse: frustra igitur diceret: *Ego me non arbitror comprehendisse.* Subiungit deinde: *unum autem, quæ retro sunt obliuiscens, ad ea vero, quæ sunt priora, me extendens, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocatus Dei.* & c. ac si diceret, hoc unum ago, nimirum oblitus recte à me antea facta, & veluti à tergo relinquens; ad id, quod à fronte est, & adhuc superest acquirendum, me ipsum quasi toto corpore, & manibus protendens, ad scopum perfectionis, qui vocatio mea quasi brauium mihi præfixus est, persequor. Quibus verbis Paulus ostendit, se adhuc totis viribus contendere ad virtutis, & perfectionis augmentum. De ea ergo, non de beatitudine dixit, se nondum comprehendiisse.

Ceterum paulo antea de comprehensione ipsius essentiae Dei clarius videtur locutus, cum inquit: *Si quomodo occurrat ad resurrectionem, quæ est ex mortuis, non quod iam acceperim, aut perfectus sim, sequor autem si comprehendam, & c.* Hoc est, ad hoc unum laborem, vt ad gloriosam ex mortuis resurrectionem pertingam, quod nondum præmium, & brauium acceperim, nec finem virtutis adeptus sim. Vbi absque dubio præmium; quod nondum acceperit dicit, intelligit, quod in resurrectione iusti acceperunt, visionem scilicet essentiae Dei.

Clarissime vero Anomæorum error confutatur ex illo; *Qui (scilicet Deus) Lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre potest.* Quæ ratione merito à Patribus Deus dicitur inuisibilis, incomprehensibilis, quia à nullo intellectu naturali ipsius virtute videri potest.

Sed arguebant Anomæi, vt est apud Chrysost. homilia 5. de incomprehensibili natura Dei, post medium illius, in hunc modum. *Veram quid isti (scilicet Anomæi) pro sua eximia sapientia ex his, quæ diximus (scilicet Deum videri non posse) inferunt: ergo Deum, quem colis, ignoras?* Hoc autem, vt est apud Nazian. in hunc modum colligebant. Deus est simplicis naturæ: ergo aut omnino comprehenditur, aut prorsus ignoratur. Vt enim tradit Arist. 9. Metaphys. cap. 12. non contingit intellectum nostrum circa simplices substantias decipi, sed aut omnino eas attingere, aut omnino ignorare, & vt refert Nicetas in illam orationem Nazian. iam citatus, dicebat Anomæi circa composita solum accidere posse, vt ex parte aliquid eorum cognoscamus, & aliquid ignoremus: simplicia vero vel in totum nos ignorare, vel comprehendere, necessarium esse.

Hæc obiectioni respondet Chrysost. his verbis: *Si inter duos orta altercatio esset de celi magnitudine, quorum alter negaret, oculum hominis eam posse percipere, alter contenderet, fieri posse, vt palmo sua manus facile metiendo totam molem transmitteret; quem celi nouisse diximus magnitudinem? eumne, qui scire contendit, quot palmos celi ambitus compleatur, an eum, qui nescire constituitur hunc prorsus.* Hæc Chrysost. Oportet tamen, vt eorum oppositioni directe occurramus.

Nazianzenus vero hoc modo respondet: *Quid enim sit ille natura simplex exquiramus: neque enim simplicitas illi natura est, quandoquidem ne compositis sola compositio. His paucis verbis censet Nicetas, & Pselus in illam orationem 42. Nazianzenum respondere Anomæis: responsum tamen difficile est. Nicetas ergo mentem Nazianzeni explicans inquit, Deum esse quodammodo incomprehensibilem, quodammodo comprehensibilem, quodammodo ægre comprehensibilem. Primum est quoad naturam, quia non potest, sicuti est, à nobis videri. Secundum, quia de Deo hoc solum comprehendimus, quod sit incomprehensibilis. Tertium vero, quia attributa, quæ de Deo prædicamus, & ex effectibus intellectu nostro ipsi tribuimus, difficulte scire, & enumerare possumus.*

Ex hac doctrina respondetur Anomæis hoc modo, quamuis Deus in se sit simplicissimus, & eius essentia strictissima summa simplicitas, vt tamē à nobis concipitur, varia prædicata ipsi tribuimus, nec simplicitatem eius tanquam ipsius naturam, & substantiam apprehendimus, sicut neque compositionem tanquam ipsarum rerum compositarum naturam, & essentiam, sed tanquam aliquid ipsam circumstans concipimus. Eo quod simplicitas in simplici

Beguinæ
rum, & B.
guinæ
error.

Castro.

Damnatur
in Concilio
Vienne[n]si.

Chrysost.

Ad Rom. 6.
Ex scriptura
confutatur.

Chrysost.
ad Philip. 3.

3

ad Tim. 6.

Chrysost.
Anomæorum
obiectiones.

Nazian.

Nicetas.

Chrysost.
Solutio.

Nazian.
Solutio.
Nicetas.
Pselus.

Explicatur à
Nicetas
Nazian.

6

simplicibus, & compositio in compositis ad modum affectionis apprehenditur; tamen si re ipsa ipsarum rerum natura, & substantia sit. Cum ergo Deus, qui re ipsa simplicissima natura est, ex effectis, & creaturis variè a nobis intelligatur, & nominetur; necesse est, ut quamdiu hoc modo solum a nobis concipitur, quasi per partes ipsam intelligamus: quare non sequitur, etiam si in se simplicissimus sit, nec totum ignorari, nec totum comprehendere. Hoc enim solum verum esse potest de cognitione rei, ut in se est. Cum vero res cognoscitur ex comparatione ipsius cum alia, quod intellectus humani proprium est, potest res simplicissima per partes intelligi, secundum quod cum varijs rebus, aut effectibus diuerso modo confertur: imo hoc pacto cognosci necesse est: ergo non contingit res simplices, aut omnino cognosci, aut penitus ignorari, ut contendeant Anomæi. Idecirco Paulus dixit: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*: ubi scientiam & notitiam, quam de Deo habemus in hac vita, appellat, *Ex parte*, quia reuera totum, quod Deus est, non cognoscitur.

Ad ill. vero 9. Metaph. cap. 11. 12. cum ait circa substantias simplices non contingere deceptionem, sed aut omnino cognosci, aut omnino ignorari, non negat, res spirituales, & simplices instar rerum corporarum, & compositarum intelligi, & per partes eo modo, quem proxime explicauimus, variè de ipsis enunciando concipi posse; sed contendit, quiddam conceptu, aut omnino concipi, aut penitus ignorari, hoc est, nullo modo cognosci: tamen circa simplicia non esse deceptionem: nam ille putat falsitatem, & deceptionem esse solum in compositione, & diuisione indicantis, ut late explicabitur disp. 76. cap. 2. Nos vero dicimus, de Deo varia posse vere enunciari non explicando, & comprehendendo, quid sit, sed ex parte quodammodo ipsum cognoscendo: siquidem in quocumque iudicio, & enunciatione veritas, aut falsitas esse potest.

CAPVT II.

Virtute naturali intellectus Deum non posse videri, contra Durandum probatur.

Durandus in 4. dist. 49. q. 2. num. 24. postquam duas de hæc sententias recensuit, & impugnauit, tertiam quandam videri amplecti, omnes enim oppositas rationes diluere, pro viribus contendit. Asserit ergo duo: vnum est non posse Deum secundum ordinem naturæ præfixum, quem experimur; a nobis videri, sicuti est: in quo ab errore Beguardonum, & Beguinarum dissentit: probat vero quoniam secundum hunc ordinem nihil intellectu possumus intelligere, nisi prius sensu, & imaginatione cognitum, & apprehensum fuerit: Sed Deum non possumus sensu aliquo percipere: ergo nec intellectu clare videre.

Alterum est, posse Deum ab intellectu nostro videri secundum ordinem statutum diuinæ gratiæ, quæ doctrina cum primo aspectu Catholica appareat, longeque ab hæresi Anomæorum abesse, eam tamen sic explicat Durandus, ut ab erroris nota non sit omnino libera: ait enim ordinem gratiæ consistere non in eo, ut intellectus lumine gloriæ, aut specie, aut qualitate aliqua roboretur, sed in sola extrinseca obiecti manifestatione, & remotione impedimenti, unde prouenit obscuritas. Sic enim remoto impedimento pu-

Valquez in 1. part. Tomus I.

tat, in nostro intellectu esse sufficientem, & naturam efficacitatem, ut absque vilo alio Deum tanquam obiectum palam propositum clare intueamur. Probat vero, quoniam omnis facultas cognoscens, cuius virtus circa aliquod obiectum aliquo modo versatur, ablato extrinseco impedimento obiectum illud manifeste propositum statim clare cognoscit, ut constat in visu circa calores: atqui intellectus noster versatur circa essentiam diuinam, sicut obiectum, cum eam cognoscit, & intra latitudinem obiecti intelligibilis contineatur: ergo ablato extrinseco impedimento præsentem Deum clare, sicuti est, videre potest. Hoc autem impedimentum, secundum statum ordinem naturæ in eo inquit esse, ut ministerio sensuum Deum ex creaturis cognoscamus: Deus autem illud auferre posset, si faceret seipsum intellectui nostro proxime præsentem.

Aliqui existimant Scotum cum Durando consentire: asserit enim intellectum sine habitu luminis posse Deum videre, si dicamus, visionem ab intellectu produci: sic videretur docuisse in 3. dist. 14. quest. 1. §. In prima questione, circa finem: ibi enim secundum sententiam, quæ ait, visionem Dei effici ab intellectu, dubitat, an fieri possit sine habitu luminis gloriæ, & respondet, eodem modo dicendum esse, quo ipse de dilectione docuerat in dist. 13. q. 4. §. ad tertiam, & §. ad quartam questionem. De amore autem, seu fruitione dixerat, voluntatem nostram sine habitu caritatis posse diligere Deum: sed vtrum etiam sine auxilio supernaturali ex sola virtute naturali intellectus, & voluntatis id fieri possit, an non, minime definit.

Hæc sententia Durandi erroris nota non caret: Durandi in primis enim damnata videri in Clementina ad nostrum de hæreticis, ubi quintus error Beguardonum, & Beguinarum in hunc modum refertur, *Quod qualibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est Beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum viuendum, & eo beate fruendum*: quæ sententia damnata fuit à Concilio Viennensi: non est igitur solum error, asserere, naturaliter Deum videri posse, sed etiam negare, necessarium esse lumen, vel aliquod donum, quo intellectus roboretur, & efficax reddatur ad viuendum Deum: id vero plane negat Durandus, ut ex dictis perspicue constat.

Sed ne definitio Concilij sine fundamento videatur, optimis rationibus id ostendamus. Prima ratio: assensus fidei in hac vita non solum postulat exteriorem obiecti propositionem, aut prædicationem, sed interius lumen, & gratiæ adiutorium, ut in 1. 2. q. 109. art. 1. probabitur, & omnibus competentum est: ergo multo magis clara Dei notitia.

Sed respondebit aliquis, ideo ad credendum mysteria fidei esse necessariam gratiam, quia cum sint obscura, non ita facile mouent intellectum ad sui assensum: at vero cum essentia Dei clare manifestatur intellectui nostro, toto impetu, intellectus naturaliter fertur in illam. Cæterum quamuis verum sit, post claram Dei visionem, & obiecti manifestationem nihil superesse iam difficultatis ad assensum, sed toto conatu naturaliter intellectum ferri in ipsam essentiam diuinam, nec vilo amplius dono gratiæ indigere, cum ipsamet visio Dei sit iudicium, & assensus; tamen, ut ea manifestetur, & clare videatur, non minus requiritur gratia, quam ut intellectus noster prædicatione facta mysterio-

9

Scoto imputatur eadem sententia.

Durandi sententia erroris nota digna Clement. ad nostrum.

Conc. Vien.

10

Prima Ratio.

Eusebius.

Impugnatur.

T

sterio-